

Anno 1702
S. ROMVALDVS. ABBAS

2

D I E XXVII. A U G U S T I.

I N F E S T O
S. JOSEPHI CALASANCTII
CONFESSORIS.

M I S S A.

Introitus. *Pſal.* 33.

VEníte filii, audíte me, timórem Dómini docébo vos. *Ibid.* Benedícam Dóminum in omni témpore, ſemper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri, &c. Veníte filii, &c.

Oremus.

DEus, qui per ſanctum Joséphum Confeſſórem tuum, ad erudiéndam ſpíritu intelligéntiæ, ac pietátis juventútem novum Eccléſiæ tuæ ſubsídium providére dignátus es, præſta quæſumus; nos ejus exémplo & interceſſióne ita fácere & docére, ut præmia conſequámur ætérna. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cap. 10.

JUſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi Regnum Dei, & dedit illi ſciéntiam Sanctórum, honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, & honéſtum fecit illum. Cuſtodívit illum ab inimícis, & à ſeductóribus tutávit illum; & certámen forte dedit illi ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt Sapiéntia. Hæc vénditum juſtum non derelíquit, ſed à peccatóribus liberávit eum, deſcendítque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi ſceptrum Regni, & poténtiam advérſus eos, qui eum deprimébant: & mendáces oſténdit, qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noſter.

Graduale. Pſal. 36. Os juſti meditábitur ſapiéntiam, & lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, & non ſupplantabúntur greſſus ejus. Allelúja, allelúja.

℣. *Jacob. cap.* 1. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Poſt Septuageſimam omiſſis Allelúja *&* *Verſu ſequenti, dicitur Tractus.*

Pſal. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus, generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória & divítiæ in domo ejus, & juſtítia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Tempore Paſchali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur, Allelúja, allelúja.

℣. *Jacob.* 1. Beátus vir, qui ſuffert tentatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

℣. *Eccli.* 45. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum: ſtolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia S. Evangélii ſecúndùm Matthæum. *Cap.* 18.

IN illo témpore: Acceſſérunt Discípuli ad Jeſum dicéntes: quis, putas, major eſt in Regno Cælórum? Et ádvocans Jeſus párvulum ſtátuit eum in médio eórum, & dixit: Amen dico vobis, niſi convérſi fuéritis, & efficiámini ſicut párvuli, non intrábitis in Regnum Cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit ſe ſicut párvulus iſte, hic eſt major in Regno Cælórum: & qui

suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Credo.

Offertorium. *Psal.* 10. Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Secreta.

ALtáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis; ut ejus nobis fiant supplicatióne propítia, cujus nos donásti patrocínio adjuvári. Per Dóminum nostrum.

Communio. *Marci cap.* 10. Sínite párvulos veníre ad me, & ne prohibuéritis eos: tálium est enim Regnum Dei.

Postcommunio.

SAnctificáti, Dómine, salutári mystério, quæsumus: ut intercedénte sancto Josépho Confessóre tuo ad majus semper proficiámus pietátis increméntum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit, &c.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PAPA XIV. ad supplices complurium Episcoporum, necnon P. Procuratoris Generalis Ordinis Clericorum Regularium Pauperum MATRIS DEI Scholarum Piarum preces, Officium de Communi Confess. non Pontif. cum Oratione & Lectionibus secundi & tertii Nocturni, ac MISSA propriis SANCTI JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI dicti Ordinis Fundatoris, aliàs à Sac. Rituum Congregatione adprobatis, ab omnibus tam Secularibus, quàm Regularibus utriusque Sexus Christifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, quotannis die vigesima septima Augusti sub ritu duplicis minoris recitari, ac respectivè celebrari præcepit. Die 19. Augusti 1769.

Fl. Card. Chisius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

VENETIIS, MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

Superiorum Permissu.


INRI